

manentes michi feminas matres non habet. Si matris vocabulum filio suspicionem tollit, eis, qui matres mecum non habent, conjunctus sexus, et si non in re, eciam falsa suspitione nocebit.' Rectissime omnino: nam ubi promiscuum sexum, virorum scilicet et mulierum, sanctitati licet assignatum, diversus ordo districte concludit, quamvis sanctitas utriusque miraculorum fulmine mentes feriat, fide et precum majestate montes moveat, tamen nisi timor et amor dei intercesserint et pastorum diligencia divini verbi pariete sexum utrumque distinxerint, adversariorum calumpnie commanencia patebit. Recessit igitur vidua sancta a fratribus corpore, non corde, hoc corde revolvens, hoc lingua proponens, in hoc consilia ac studia diutina terens, qualiter locus digno pastore erigeretur, inceptum perficeretur, ipse locus apostolice cathedre privilegii sanctione subderetur ac per hoc libertate donaretur. Et anno D. 1106 papam Paschalem adiit, privilegia peccit, impetravit, omnem libertatem sue celle acquisivit. Cumque vidua prudentissima de bono atque ydoneo pastore sollicita anxaretur ac de multis cenobiis patrum anima pertractaret; — non erat tunc temporis in toto orbe Romano fundus tam vasta solitudine horribilis, ubi tam virorum quam mulierum¹⁾ deo serviencium proventus surgeret specialis sicut in Suevia, ubi in nigredine silvarum ac horrore locorum tot florerent orti deliciarum, tot in monastica institutione provenirent roseta virtutum, sicut in Suevia Hirssawie. Videris in hac solitudine terribili similitudinem quandam tabernaculorum antiqui populi dei, ubi per turmas suas duces monachorum et principes distinctis ordinibus procedebant et quiescebant, ubi latibulum bestiarum mutatum est in frequentiam populorum et in cohortem²⁾ sanctorum, ubi valles nemorose, prata virencia, fontes, aque vive ex uberatissima scaturigine profluentes, ubi tunc verus Israel submerso Pharaone et curribus suis de sua liberatione gloriabatur et terram promisse hereditatis inflexibili tramite monasticis institutis quasi legalibus disciplinis aggreditur. Inter que luminaria Hyrsaugiense cenobium quasi lucifer et stella matutina ventura diei prenuncia temporibus illis claruit et cunctis veritatem querentibus future vite et glorie vestigia quedam in se et ymaginem expressit. Tunc dyabolus verus Phrao contra populum Israel, id est monachos Hyrsaugienses, armatur, regem Heinricum V.³⁾ incitat atque inflammat, qui toto annisu omnem congregacionem Hyrsawgiensium monachorum molitur confundere atque destruere. Inter quos Wernherus, Argentinensis presul, inter ceteros Hirsawienses debellaturus antecedeat, qui ad opidum quod Prohem dicitur veniens pro infulis

1) P. 296 Wegele. 2) So schon Wegele mit Recht für das hds. 'cohors'. 3) So Wegele. Hds.: 'regem H II'